

5001
Petit complément

TP 154m/9




Nous avons séance demain
à 5h

(Lambinus sur sa famille & l'histoire)

154m/9
TP

Bibliothèque Maison de l'Orient

072892





Teorsum impressum ex libro c. i.
Commentationes Vergilianae,
Cracoviae, sumptibus Acad. Polonae
Litterarum 1930.

De portus Libyci descriptione Vergiliana

(Aen. I, 159 sq.)

scripsit

Georgius Schnayder.

Doctorum libri, quibus Mantuani ars et ingenium explicantur, tam numerosi exstant, ut iam anno 1909 G. Freytmansius, Belgorum philologus, hanc contentionem prorsus temerariam duxerit, si quis post tot commentatorum curas novum aliquid proferre sibi proposuisset¹. Atque in vasta illa librorum silva regionum descriptiones Vergilianae minime, ut aequum erat, neglegebantur. Sed Libyci portus descriptionem (Aen. I, 159) non omni ex parte doctissimi in usum interpretationis converterunt. Commentatores in hoc quidem omnino acquiescebant, ut Homeri imitationem (scil. v. 95 sq.) non obscuram statuerent. In quibus e. c. *Heinzeus*, de Vergilii indole exploranda vel optime meritis, imitatoris consilium sibi conscium fuisse contendere non dubitavit².

Quantopere antiqui locorum descriptiones saepius neglexerint, inter omnes constat. Satis erit e. c. Catal. X proferre, ubi Sironis villam eiusque regionem vicinam ne uno quidem verbo descripsit poeta, quamquam post Mantuam Cremonamque amissas hoc imprimis receptaculo libentissime se uti profiteretur (v. 5 sq.). Sic Propertius quoque C. IV, 8

¹ Les descriptions dans le 1-er chant de l'Enéide, *Bullet. bibliogr. et pédag. du Musée Belge* XIII, 1909, 217 sq.

² ...das ist Imitation einer Schilderung der Odyssee u. will als solche bemerkt werden...: *Virgils epische Technik*, Lpzg. Teubner 1903, 309. Editionem libri, quae a. 1928 apparuit, ad manum non habui.



TP 759m/9

nullo prorsus lineamento illum horti recessum adumbravit, ubi cum amicis lusit (v. 35). Excursiones suburbanae, Tibur aut per viam Appiam factae, descriptionibus aequae carent (II, 325 sq.). Hanc continentiam iam ipsum litterarum genus nonnumquam ingerebat; itaque poetae epici promptius quam epylliorum posteriorum auctores illo sermonis beneficio uti consueverunt, quo mentio brevis at perspicua speciem non minus plasticam atque expressam efficit creatque (cf. Homeri Catalogum, Verg. Aen. VII, 641 sq.). Sed Horatii praecepta (AP. 14 sq.) paene neglecta sunt in Libyci portus descriptione Vergiliana, quae iam prae ipsa verborum imaginumque copia animum in se convertit. Hanc permulti vv. dd. iam diu tractaverunt, in his H. Th. Plüss¹ compositionem diligentissime examinavit. Topothesia Vergiliana varium quidem in modum explicabatur², res vero singulas totius imaginis perperam ad arbitrium suum disponebant nonnulli³. Atque interpretatio, ad nostrae quoque aetatis animos alliciendos videlicet haud inepta⁴, mea quidem opinione supplementis eget, quibus Mantuani ars atque indoles, in regionibus describendis conspicua, planius illustretur.

I.

Postquam inter Vettii Praetextati convivae doctos, Saturnalia honeste agentes, Eustathius, Vergilii patronus acerrimus, hanc quoque rem attigit, quidnam Mantuanus vates Homero debuisset, omnes, qui aderant, accuratius id cognoscere concupiverunt... *quid enim suavius, quam duos praecipuos vates audire idem loquentes...* (Macrob. Sat. V, 3, 16). Cum famulus Vergilianum volumen ex bibliotheca attulisset, Eustathius temere, quos fors detulerat, versus inspexit et *videte, inquit, portum, ad civitatem Didonis ex*

¹ Vergil u. die ep. Kunst, Lpzg. Teubn. 1884, 10–12, cf. p. 9–56.

² Vetustiorum inventa apud Heynium (ed. Verg. Lpzg. 1832, II, p. 225 sq.), recentiora infra a me apponuntur.

³ ut e. c. P. Weyland, V-s Beschreibung d. Lib. Hafens, Progr. Gartz 1890.

⁴ J. E. Barss, Aeneid I, 161 The Class. Weekly XX, 1927, 111.



Ithaca migrantem: in nostram enim ipsam descriptionem incidit. Itaque Aen. I, 159 sq. recitat (*est in recessu longo locus* et qu. sq.), inde comparandi gratia statim Hom. v 96 sq. affert (Φόρκυνος δέ τις ἔστι λιμήν... κτέ.). Macrobius quamquam infra saepius adnotare non omisit, quanto Vergilius locupletior interpres Homeri exstitisset (V, 11, 5), hic in nuda duorum locorum laudatione acquievit. At recentiores commentatores de singulis descriptionis, non mirum, inter se contendebant atque insuper suspicati sunt imitatorum Romanum et insulam Homero surripuisse (cf. 116), unde cervi quoque se interposuisse visi sunt¹. Mihi profecto illa potius eruere placuit, quibus Vergilius Homericam portus descriptionem plane locupletasse videretur.

Primum omnium silvam nemusque videamus, quae *Ch. G. Heynio* (l. c. a. v.) hanc observationem olim suggererunt: *hoc nemus V. ex una olea apud Homerum propagavit tamquam ex surculo*². Magis facete, quam recte! Hoc enim potius contendere potest Vergilium oleam praeterisse; nam silva, ut vere dicam, iam apud Homerum in recessu portus conspicitur: hanc Athena e longinquo apparentem monstrat Ulixi (Νηριτόν... ὄρος καταειμένον ὕλη v. 351), qui postea χῶρον ἀν' ὕληντα (ξ 2) enititur. Sic Homerus nonnullas descriptionis res singulas procedente demum narratione commemorabat, quas Vergilius non solum veluti forma unius imaginis aequalis ac cum quodam lepore congruentis inclusit et comprehendit³, sed, quod multo maioris est momenti, Homericam descriptionem feliciter variavit atque argutiis quibusdam eandem ditavit. Huc spectant vv. 164 sq.: *Tum silvis scena coruscis desuper...* His tamquam recessum toti imagini appinxisse poeta videtur, si *scenam*

¹ Sic ex vetustioribus cf. editionem Heynii-Wagneri l. c. p. 98; idem *A. Forbiger* repetit (P. Vergilii Maronis Opera, Lpzg. 1883, II, p. 47 sq.).

² cf. v 102: αὐτὰρ ἐπὶ κρατὸς λιμένος τανύφυλλος ἐλαίη.

³ Id quod eiusdem aetatis poetae non semper curabant. Apud Prop. III, 3 singula per totum carmen passim dispersa sunt: Heliconis umbra (1), arbor (13), spelunca (27), fons 42, 51, (32, 51) Rursus apud Hor C III, 27, 25 sq. tenuem regionis adumbrationem vix assequeris ex fortuitis Agenoris mentionibus: vv. 58, 61.

(de qua infra fusius) sensu *recessus* accipiemus, praepositionem autem *desuper* cum compluribus vv. dd. eo spectare statuemus, quo recessus in spatio regionis descriptae accuratius collocetur¹. Frondosum videlicet montis iugum, quo locus amoenissimus superatur, regionis autem forma in recessu clauditur, spectantibus Aeneadis parietem veluti contrariam offert. Sic. in Aen. V, 287 campum habes... *quem collibus undique... cingebant silvae*. At in recessu Libyci tractus loca paulo editiora videlicet assurgunt: nempe silvas ibi crescentes *coruscas* nuncupavit poeta, id quod Servio praecursore (ad v. 164) pro *tremulas* ventoque nutantes nonnulli accipiunt². Haud aliter Athos mons, Erix seu pater Apenninus... *coruscis... fremit ilicibus* (Aen. XI, 701 sq.). Si Th. Plüss interpretator omnem motus notionem hic improbavit, tamquam placidissimo illius regionis silentio contrariam (l. c. p. 12, 1), nos certe de absurda interpretatione minus metuemus, praesertim cum venti procellosi commemoratio, in maris fluctibus saevientis summasque arbores montanas agitantis, iam ipsa dissimilium coniunctione mirum quam conspicuam reddat tranquillitatem illam in ima convalle regnantem, perfugis gratissimam. Atque enimvero res per se ipsa haud iniucunda videtur fuisse vati, quem saepius videlicet iuvabat *undantem buxo spectare Cytorum* (G. II, 437)³. Sic in voce *coruscis* non solum epitheton ornans, quod dicitur, expressum habes; elocutio et eis, quae geruntur, et ipsius poetae studio atque amoris optime respondet, id quod iam hic statim adnotemus necesse est.

At Vergilius cum Libycam regionem iugo silvestri in

¹ Ex vetustioribus *scenam* cum *desuper* coniungit P. Weyland l. c. p. 7: ...ragt von oben hinunter eine, von schwankenden Bäumen gebildete (Bühnen)-Wand. Cf. quoque ed. *Ladewig-Schaper-Deuticke-Jahn* Berlin, Weidmann 1912, II, p. 14 a. v.; ex recentioribus cf. *A. Belle-sorti* Aeneidis translationem (= *Virgile Oeuvres* par *H. Goelzer*, Paris, Les belles lettres 1925, III t., p. 12):... audessus comme un mur de fond des bosquets frémissants...

² cf. Heyne-Wagner, Forbiger l. l.; Weyland l. c. p. 7; Belle-sort l. c.

³ Inde Vergilium non semel voluptatem hausisse his quoque locis edocemur: Aen. IX, 679 sq.; VI, 704; G. I, 357.

recessu comprehendisset, nihil aliud nisi id, quod eius aetatis hominibus placebat, in descriptionem induxit. Alpium foeditas illa, arboribus viduatarum, Livii — ut notum est — animum offendebat (XXI, 48). Itaque Ovidius Idam montem nullam aliam nisi silvis vestitam sibi proponit¹. Inde si Cynthiam, strepitum urbis fugientem ac rus migrantem, Propertius (II, 197) alloquitur *sola eris et solos spectabis... montes*, suspicari licet poetam sine dubio iuga silvis obsita in animo habuisse: haec enim ipsa oblectationem antiquis afferebant. Regio montuosa et silvestris deliciis videlicet saeculi conveniebat: hanc et Culicis auctor² commemorat, scholasticae disciplinae alumnus (v. 138 sq.): *hic... pinus proceras decorat silvas... ac petit aeriis montibus astra*.

Sed ea, quae, ut supra monuimus, iam in Homérico exemplari deprehendes, Mantuanus supplemento quodam adauxit: addit enim... *horrentique atrum nemus imminet umbra* (v. 165), id quod ad superiorem adumbrationem proxime accedit. Itaque, ut Plinii Minoris elocutione utamur (Ep. V, 68), *silvae cum ipso monte descendunt...* inque nemus desinunt, quod montano iugo subiectum exenditur umbrosum et horribile. Hoc est illud nemus, quo postea (v. 191) cervi Aeneae sagittis agitati perfugiunt, cuius bracchia frondosa usque ad portus litora porriguntur (cf. v. 310)³. Id eo magis commemoramus, quod dd., ut non dicam de

¹ Ulixes Aiaci mimitans vociferatur: *ante... sine frondibus Ide stabit...* (Met. XIII, 324). Atque cum incendium a Phaëtonte feroci excitatum per totum orbem pervagatum esset... *silvae cum montibus ardent...* ibid. II, 216 sq. In quo communi rerum incendio et Alpes non desiderantur (226), quandoquidem etiam flumina ignibus hauriuntur (241 sq.).

² Culex nunc ab omnibus fere vv. dd. (*T. Frankio* forsitan excepto: cf. *R. Helmius* Phil. Woch. 48, 1928, 1124) a Vergilio abiudicatur: *F. Plessis—P. Lelay*, Oeuvres de Verg., Paris 1919 Hachette, p. XIII sq.; *H. Goelzer* Virg. et ses oeuvres de jeunesse. Bullet. de l'Assoc. Budé, N-o 9, 1925, 28; ed. Bucol. l. c. I, p. 10; *A. Klotz*: Zum Culex, Hermes LXI, 1926, 28 sq.

³ Nemus atrum poeta nuncupavit propter arborum videlicet densitatem, qui fuscum colorem produnt (cf. quoque Aen. IX, 381). His *nemora Aethiopum molli canentia lana* (G. II, 120) optime opponemus. Nemus metum (*horrenti imminet*) seu potius religionem commovet, quam e. c. Seneca Ep. 41, 3 exsecutus est.

inopinatis quibusdam commentis ¹, parum curabant, ubinam nemus illud interponerent ac, si omnino sententiam de hac re ferebant, *desuper* huc revocantes, *imminet* autem in scenographiam, quae dicitur, adumbrandam trahentes, nemus a silva vix certe internoscebant, silvam nemusque eandem prorsus rem significare opinabantur ².

Sed et verborum copia Vergiliana ususque admonere videntur, ut distinctionem potius harum notionum adhibeamus. Ea, quae Heynius a. v. 162 sq. adnotavit („post silvas memoratur nemus: tamquam post latius id, quod partem vel genus constitit“), impellunt ad descriptionem nostram hac ex parte investigandam. En quae deprehendere contigit habes: apud Vergilium maiores altioresque arbores silvam saepius conficiunt, nemus in minoribus consistit. Egregium exemplum Buc. IV, 1 sq. praebet. Pleniore ore se canere initio profitetur poeta: *Paulo maiora canamus!* Inde Pollio his appellatur (v. 2 sq.): *non omnis arbusta iuvant humilesque myricae, si canimus silvas, silvae sint consule dignae...* Simili modo in Alcinoi hortis nullas nisi altas videlicet celsasque arbores fuisse animo sibi effinxit poeta (G. II, 87: *Alcinoi silvae*) non aliter atque Propertius (III, 211: *nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas*), in quo uterque Homerum nimirum sequitur (scil. η 114: *δένδρεα μακρά... τηλεθρόντα*). Inde factum est, ut notione *silva* Vergilius saepius uteretur, ut luxuriantem omnino magnitudinem verbis demonstraret: sic amellus flos... *uno ingentem tollit de caespite silvam* (G. IV, 273) ³. Nemus vero

¹ Sic K. Pöhlig contendit, Beitr. zur Kritik u. Erkl. v. Verg. Aen. I. Stendal 1871, p. 8: d. freie Platz... von Laubbäumen (164, *silvis coruscis*) eingefasst u. weiterhin von einem schwarzen Fichtenwalde (*atrum nemus*) überragt...

² cf. e. c. Plüssium l. c. p. 12, Forbigerum a. v. 164 atque eiusdem adnotationem, quae elocutioni *silvis coruscis* debetur. Sed Belle-sortius (l. c. v. 166) omnem scenographiae, quae laudatur, notionem eleganter evitat, vocem *imminere* Francogallica locutione *dominer* red-dens i. e. principem esse: *Un bois noir, qui domine du mystère de son ombre*.

³ Conspicuum est Ovidium minus in his rebus diligentem, ad amplissimae quercus descriptionem nemoris potissimum notionem adhibere: *annoso robore quercus, una nemus* (Met. VIII, 743 sq.).

humiliorum est arborum: cf. G. II, 120 ubi xylini commemorantur. At negari vix potest in horum verborum delectu et Mantuanum quadamtenus haesitare: sic in G. II, 122 sq. *luci* de ingentibus Indorum silvis legimus

ubi aera vincere summum
arboris haud ullae iactu potuere sagittae...

infra vero (G. II, 181) *silva* vivacis olivae laudatur. Sic Aeneas Aen. III, 24 *viridem... ab humo convellere silvam* conatur, ubi de ramis potius frondosis cogitandum est. Fluctuatio illa in verbis usurpandis manifesta tum imprimis apparet, cum singillatim separatimque notiones illae occurrunt; quotiens vero in eadem descriptione coniunctae leguntur (ut e. c. G. II, 21, 323; Aen. III, 681; VI, 704; VII, 515), apud Vergilium quidem unaquaeque sensum genuinum servare videtur et tum, ut in nostra Libyci portus adumbratione, de silvis altissimis cogitandum est, iam ipsa proceritate nemus subiectum superantibus¹.

Sed hactenus de testimoniis ex usu verborum petitis. Talis arborum singularum dispositio, qua silva loco editiore sata e nemoribus eminens proponitur, ei certe oculorum oblectationi satisfacere debebat, quae eius saeculi hominibus in deliciis videlicet fuit. Eadem non solum apud Mantuanum se prodit. Si Propertius platanos prope Porticum Pompeiam ordine pariter surgentes (II, 32, 13) admiratur, alii, qui tum florebant, poetae non minore cum voluptate arbores contemplabantur, quae procerae gracilesque ex humilioribus ceteris exstabant. Exemplo e Vergilianis carminibus deprompto (B. IV, 3) iam supra usi sumus. At in Ecloga I, quae recentiorum doctorum opinione hac ex parte a reliquis differt, quod Theocriti imitationem auc-

¹ Non ita Ovidius, qui in verbis *silva* et *nemus* (lucus) adhibendis nullum paene significationis discrimen, in una eademque descriptione, facit: cf. Met. III, 28 *silva vetus stabat nulla violata securi...*; *quem postquam lucum...* de eadem silva v. 35. Item v. 44: (*serpens*) *despicit omne nemus*. Ibid. XIV, 360: *densum trabibus nemus... plurima qua silva est*; F. II, 165: (*Diana*) *tetigit lucum (densa niger ilice lucus)*; v. 167: *hic... in silva*. F. III, 263: *silva... opaca*; 266: *nemus illud*.

tor neglexerit protuleritque nonnulla, quae ipse vidisset usuque cognovisset¹, hanc quoque comparisonem legimus:

(Roma) tantum alias inter caput extulit urbes,
quantum lenta solent inter viburna cupressi...

Sic quercum, toto nemori imminentem, etiam in G. II, 15 poeta commemorat... *nemorumque Jovi, quae maxima frondet aesculus*².

Poetis, urbanam vitam degentibus, haec atque talia contemplari in hortis scilicet illis contigit, arte conditis, quos ad Tiberis potissimum ripas divitibus tum Romanorum aedificare placebat. Ad Vergilianam descriptionem proxime, ni fallor, Propertianus locus accedit I, 14, 5 sq.: Tullus praedives in hortis Tiberinis sub divo iacet aspicitque

et nemus omne satas ut tendat vertice silvas,
urgetur quantis Caucasus arboribus...

Si notiones, iam supra propemodum definitas, ad Propertianum illud enarrandum adhibueris, facile accipies silvas, ornatus causa satas, ex hortis amplissimis (*omne nemus*) sublime erumpentes poetam depinxisse. Sic interpretatus est hos versus multaue testimonia apposuit *M. Rothsteinus*³, a cuius opinione in eo solum dissentio, quod versum alterum loci supra citati non ad nemoris amplitudinem exprimendam (Rothst. ad v. 5) refero: hic enim in eo potius res est, ut silvarum illarum enormis magnitudo exponatur, quae in declivitate quadam loci videlicet crescunt, omni igitur nemori imminent, Caucasi asperitatem praeclare imitantur. Liceat hic Verg. G. II, 440 apponere ubi... *Caucasio steriles vertice silvae* laudantur, quas arbores conficiunt immanes, frugibus carentes. Nunc et ad Servium provocemus (...*nemus... composita multitudo arborum, silva diffusa*

¹ cf. *R. Waltz*, La I-re et la IX-e Bucolique Rev. Belge de Philol. et d'hist. VI, 1927, 31 sq.; *F. Klingner*, Vergils erste Ecloge, Hermes LXII, 1927, 129 sq.

² Quocum conferas velim Ov. Met. VIII, 743: *...cetera tantum silva sub hac (quercu), silva quantum fuit herba sub omni.*

³ Die Elegien d. Sex. Propertius, erkl. von *M. Rothstein*, Berlin 1920, I, p. 147.

*et inculta*¹, quo maiore cum probabilitate contendamus silvas illas Propertianas horridas et sine cultu de industria derelictas esse, ut Caucasi barbariem in hortis arte factis in memoriam revocarent, quae imago et a Vergilii consilio non absona fortasse fuit.

In Aen. VIII, §1 sq. iter descriptum habes, Pallantis in sedem navibus ab Aenea susceptum. Quod dum facit Troius heros, fluminisque litora praetervehitur, nemora miratur silvasque, flexus Tiberis ornantes. Id *G. Boissier*², cum eis ingeniose coniunxit observationibus, quibus ipse Mantuanus olim commotus esset, cum cultos procerum, quos noverat, hortos ad Tiberim sitos invitatus peragrasset. Si verum profecto est poetam nonnunquam in his amoenissimis locis errasse, nihil obstat, ut silvarum nemorisque mentionem illam, Libyci secessus descriptioni intextam, ad harum rerum memoriam probabiliter referamus. Nempe id praecipue Vergilii intererat, ut defessorum Aeneadarum oculis prospectus venustissimus proponeretur: et revera in regionis adumbratae recessum eam potissimum rem induxit poeta, qua ruris, qui tum vigeabant, amatores plurimum delectabantur. Horum unus, atque ille maxime celebratus ac subtilis, non sine causa iam iuvenis valde exoptabat, ut hortus et cum fonticulo domus feliciter fato sibi contingerent... *et parvum silvae super his*...³, eos vero irridebat, qui violariis solum et myrtetis gauderent (C. II, 156). Inde non miramur, si *F. Ehrlich*, cum de Italiae incolis et regionibus in Aeneidos carminibus verissime descriptis dissereret⁴,

¹ Id quod Ladewig-Schaper l. c. in usum suum convertit, cum Verg. G. II, 323 explicaret.

² *Nouvelles promenades archéologiques, Horace et Virgile*, Paris, Hachette 1907, p. 265 sq.

³ Cf. Sat. III, 62 sq. Si loca, quae infra villam Sabinam iacebant, docet Boissier l. c. 35, laeta et in sole posita erant, regio superior declivis, quercibus nec non arbustis vestita, silvestrem agrestemque naturam prae se ferebat. His proximis temporibus *G. Lugli*, Mon. dei Lincae XXXI, 1926, 457 sq. horum locorum descriptionem probabilem publici iuris fecit; cf. *H. Goelzerum*, Rev. des Et. Lat. VI, 1928, 351 sq. et *H. Lanerium* D. hum. Gymn. XXXIX, 1928, 71 sq. de hoc libro disputantes.

⁴ Mittelitalien, Land u. Leute in d. Aen. V-s, Progr. Eichstädt 1892

passim adnotavit (e. c. p. 32 sq.), quam saepe Vergilius silvas commemorasset horridas vastasque, antiquae Ausoniae tam proprias¹: ex his utique Mantuanus ipse oblectationem capiebat (cf. Boiss. l. c. p. 344 sq.).

Si *W. Kroll* in libro eruditissimo, q. i. Studien zum Verständniss d. röm. Litteratur, Stuttgart 1924, VII, Originalität u. Nachahmung p. 161, contendit Vergilium nonnullos auctorum libros excussisse ac cognovisse, priusquam aliquid scripsisset, nos vero haec quoque animadvertere non omittimus: nemus et silva in altum assurgens, quibus Vergilius Homericam descriptionem locupletavit, eorum sensum manifesto produnt, quae et poeta ipse et eius aequales adamaverunt. Haec et in picturae monumentis, quamvis parcius nobis asservatis, apparent: artium fautores Romani libentissime videlicet in tabulis talia spectabant, nam in topiario opere, Primae Portae in villa ad Gallinas reperto, cuius origo cum Augusti temporibus a compluribus coniungitur, in ceteris horti arboribus, varium in modum dispositis, graciles cupressos pictor repraesentavit, ex recessu imaginis prominentes².

II.

Ea, quae e toposhesia Vergiliana adhuc enucleare nobis contigit, quaestionem item suggerunt ad scenographiam, quae dicitur, pertinentem. Hanc deinceps nunc expediamus necesse est. Illud *scena* (sc. silvis coruscis desuper) varie olim explicabatur³. Recentiores doctissimi de recessu cogita-

¹ At in Italia, quae nunc est, silvarum penuriam iam *H. Nissenius* deprehendit: Ital. Landeskunde, Berlin 1883, I, p. 462.

² v. Ant. Denkmäler, Berlin 1891, t. I, tab. XI, XXIV et LX.

³ Saepius hoc loco Servianae interpretationis (a. v.) docti recordabantur... *apud antiquos theatralis scena parietem non habuit, sed de frondibus umbracula quaerebant*. Eorum igitur commentatorum opinione V. elocutione usus est, quae vetustioris potius theatri rebus, simplicibus admodum tenuibusque, respondebat. Commentariorum discrepantiam ut paucis demonstramus, sufficiat *K. Pöhlgi* inventum in memoriam reducere (l. c. p. 8), id quod diligentiae tantummodo gratia apponimus: *D. Freie Platz rings um d. Bucht von Laubbäumen eingefasst... wird passend eine scena genannt... Diversa commenta vetustiora Forbigerus a. v. tradit.*

bant (*un mur de fond*, Bellessort), cuius vice paries fungitur, in recedentibus pulpiti partibus collocatus¹. Atque revera, ut mea quidem fert opinio, Vergilius, cum vocem *scena... desuper* usurparet, certe eis impulsus est, quae ipse in theatris suae aetatis spectaverat. Primum omnium liceat hic familiaritatis illius admonere, quae eiusdem aetatis hominibus omnino cum rebus theatri erat: nempe in domiciliis ignobilium quoque oppidanorum theatralem ornatum saepius in parietibus penicillo repraesentatum videmus. Praeterea notum est in Pompeianis picturis, quas secundi et tertii stili cognomine doctissimis distinguere ac designare placuit, extremam theatri scenam, parietem dico, saepenumero adumbratam esse: id in theatris tum in Italia vigentibus artifices propriis oculis cernere potuerunt et pingendo imitabantur². Item ex nonnullis auctorum locis efficitur veteres regionis cuiusdam spectatores, si quando scenographiae, quae dicitur, legibus in descriptione satisfacere velint, plerumque eis uti notionibus, quas ex theatri architecturae observatione ipsi reportaverint. Sic iam apud Mantuanum Aen. V, 287 sq. convallis, locus certaminibus celebrandis destinatus, circi formam refert; colles vero, quibus vallis continetur, caveae theatri similitudinem gerunt: *mediaque in valle theatri circus erat...*³. At Plinius, dum longissimum prospectum ex villa Tusca intuetur (Ep. V, 6, 7), haud aliter affectus est: *imaginare amphitheatrum aliquod immensum et quale sola rerum natura possit effingere. Lata et diffusa planities montibus cingitur...*⁴. Sic

¹ Id quoque apud Servium paulo infra legebatur... *postea tabulata componere coeperunt in modum parietis.*

² Cf. R. Pagenstecherum, D. Landschaft in d. Malerei d. Altertums, N. Jahrb. f. klass. Phil. 24, 1921, 284; huc accedit, quod in picturis Pompeianis personae magna ex parte architecturae ornamenta in recessu expressa habent: W. Helbig, Untersuchungen über d. campanische Wandmalerei, Lpzg. 1873, 82.

³ Quem locum iam Ladewig-Schaper l. c. attulit, cum *scenam* nostram interpretaretur.

⁴ Romani opibus florentes propense talis architecturae specimina propter aedes suas locupletes ac refertas spectabant. In vicinia villae Tuscae (Plin. Ep. V, 6, 32 et 17) hippodromus extenditur nec non gestatio in modum circi.

Vergilius *scenam desuper* commemorans nihil aliud nobis sane fecisse videtur, quam exemplar Homericum iterum ad sua propius admovisse tempora, praesertim cum tales observationes Odysseae auctori alienae nimirum fuissent, propter totum culturae Homericae habitum et rationem simplicem etiamtum humilemque. Locutionem Vergilianam abhinc octo annos in memoriam revocavi, cum exquirerem, quatenus Horatius scenographiae rationem habuisset in regionibus describendis¹; nunc vero occasione oblata Vergilium nec non alios poetas, Augusti aetate florentes, hac ex parte indagare placet.

Lyrici eius saeculi poetae principes plerumque eos, quibus carmen dedicarunt, admonent, ut regionem venustam aut saltem res singulas, spectatu dignas, contemplantur. Post Horatianum illud notissimum *vides, ut alta stet nive candidum Soracte* (C. I, 9, 1 sq.), Propertium laudamus I, 29: *aspice, quo summittat humus formosa colores* atque eiusdem II, 197 sq.: *sola eris et solos spectabis, Cynthia, montes et pecus et fines pauperis agricolae*. Aequè apud Vergilium Mopsus antrum Menalcae monstrat, labruscae racemis vestitum: *aspice, ut antrum...* (B. V, 6 sq.)². Sed et carmen epicum similis adhortationis occasionem aequè subministravit: Aen. VII, 190 Euander, Caci antrum famosum Aeneae commonstraturus, his incipit: *iam primum saxis suspensam hanc aspice rupem...* Illud nunc agitur, num poetae, alios admonendo paene indefessi, rerum singularum in spatio dispositionem et ipsi percepissent, cum plasticae, quam nuncupamus, artis legibus convenientem. Arborum prospectus, directo ordine in horto cultissimo positarum, inanem tantummodo animum pascit secundum Vergilium (G. II, 285). Attamen poetae, ne Mantuano quidem excepto, tam saepe conscii sibi fuisse videntur earum observationum, quas oculorum acies suppeditabat, ut facile credamus et ipsos talium rerum minime incuriosos viguisse.

Iam primum omnium vitae urbanae res et rationes

¹ cf. G. Schnayder: De regionum descriptionibus Horatianis, Characteria in hon. C. Morawski, Cracoviae 1922, p. 258, 3.

² Cf. *aspice... sol crescentis duplicat umbras*: B. II, 96 sq.; IX, 58 ex Theocr. II, 38 sq. ἠνίδε κτέε̄ petitum.

nonnulla suggerebant. Sic Ovidius, theatri amator insignis, haec intueri sibi visus est, quotiens auleum, signis quibusdam adornatum, antiquo ex more subter tollebatur: primum vultus apparent personarum, quae paulatim emergentes in imo denique pulpitorum margine pedes ponunt (Met. III, 111 sq.). Eundem cernendi sensum subtiliorem in diluvii descriptione deprehendere licet; cf. Met. I, 344: *...collesque exire videntur, surgit humus, crescunt loca decrescentibus undis*. Sic postquam ignis, Phaetontis insolentia suscitatus, maria exsiccavit... *existunt montes* (Met. II, 264), aequore olim tecti. Sed — ut iam ad nostrum transeamus — Georgicon auctor simili atque Ovidius oculorum mendacio deceptus est in theatro: cum enim velum tolleretur (G. III, 25), Britanni in auleis intexti velum tollere Vergilio visi sunt¹. Certaminis vero equorum observationi (ibid. 105 sq.) illud debemus: currus carceribus missi

iamque humiles iamque elati sublime videntur
aera per vacuum ferri atque adsurgere in auras.

Praeter Vergilium (scil. Aen. I, 106) Ovidius, praecipue cum iter longum faceret, maris fluctus horrescentes observare non neglexit: ecce *montes volvuntur aquarum*, iam sidera summa tacturi; *diducto subsidunt aequore valles*, veluti Tartara nigra penetrantes (Trist. I, 2, 19 sq.; cf. ibid. 11, 20)².

In his omnibus descriptionibus seu comparisonibus unica solum aspiciendi ratio et facultas manifesta deprehenditur: poetae dum spatium aliquod intuentur, nullam lineam nisi ad perpendicularum directam in regionis forma percipiunt atque ad eundem tractum oculos ferunt³. Id sim-

¹ Cuius ludibrii oculorum cum poeta adeo conscius sibi fuisset, locutionem *incipit apparere* (sc. Bianoris sepulcrum), quae in B. IX, 60 legitur, ut simplicem Theocriti imitationem (VII, 10: *κατεφαίνεται*) minime accipiendam esse confido.

² cf. quoque Met. XI, 503 sq.

³ Eo factum est, ut montes collibus imminere haud difficile animadverterent (cf. Aen. I, 416; Ov. Met. VII, 769; Mart. quoque IV, 644: collibus imminent recessus). Locutionem *assurgere*, de montibus seu aedificiis in altum ascendentibus solito more usurpatam, prior Vergilius adhibuisse laudatur: cf. Ladew. Schaper l. c. ad G. III, 355.

plicem admodum indoctamque cernendi facultatem prodere solet et scenographiae — quae dicitur — leges usque ignorantem. Poetae illi, ut erat in praesentia culturae humanae habitus, aequae ac Horatius (id, quod iam in Charisteriis l. c. p. 258 sq. docui) omnia tamquam in imagine eminentia primo loco ponunt atque adumbrant, tertiam vero, quam appellamus, spatii dimensionem neque cognovisse neque res in recessu collocatas subtiliter delineare potuisse videntur. Apud Vergilium quidem haud plura exempla quam Venusinum apud vatem mihi oblata sunt, in quibus recessus regionis descriptae feliciter exprimeretur: Aen. II, 695 sq. tantummodo appono, ubi stellam, super culmina tecti labentem, Idaea se condere silva Aeneas commemoravit. Eodem longus secessus spectat, elocutio e nostra portus adumbratione excerpta (v. 159: *est in secessu longo locus...*). Si *locus* ad totum illum τόπος pertinet, a poeta descriptum, tum *secessus* longius patet, quam Weylandio (l. c. p. 3) visum est, qui de sinu maritimo, continentem terram altius penetrante, cogitabat: nempe τόπος nonnisi in recessu denique iugo continetur, silva vestito¹. Sed praeter hos locos nullus, ni fallor, apud Vergilium alius exstat, ex quo cognosci possit poetam scenographiae rationem revera habuisse. Saepissime enim ea, quae Mantuanus in extrema seu abscedente imaginis parte adumbravit, sublime assurgunt, cum recedere debuerint, quam incuriam (seu dunitatem hanc melius nuncupabimus) et apud Horatium (cf. Charist. l. c. 258 sq.) et alios apud eiusdem saeculi poetas aequae deprehendes. Iam in nostra toposhesia scena, qua in recessu regio tota tamquam includitur terminaturque, adverbii *tum* ope, quod omni colore caret, inducta se attollit (*desuper*), ut hanc quidem Aeneadae cernunt, in portum intrantes. Inde voce *imminere* propense Vergilius utitur, ubi nos equidem res, in interiorem imaginem abscedentes, animo fingimus. Exempli gratia ponimus B. IX, 41 sq.: candida populus antro imminet...², id quod mirum id modum Horatianam

¹ *Secessus* Aen. III, 229 quoque recurrit.

² Theocr. XI, 44: ἄδιον ἐν τῶντρῳ παρ' ἐμὴν τὰν νύκτα διάξεις ne hanc quidem exhibet subtilitatem.

refert intuendi facultatem: *imminens villae pinus* (C. III, 22, 5). At Propertius paulo subtiliorem in his rebus indolem probat, cum (IV, 165) *scandentes... de vallibus arces* (Assisi) laudat; ibid. 125: *scandentis Assisi consurgit vertice murus*.

Sed ut haec iam mittamus, nonnunquam spatium, inter res singulas patens, velut in brevius contractum oculis intuentium sua sponte offerebatur, tum maxime, si quis regionis spectator navi prope litus vehebatur ideoque praecertis quibusdam in continente locis incertam ipse mobilemque sedem obtinebat. Sic Vergilius tamquam ea commemorans, quae sibi ipsi peregrinanti contigerant, Aeneam, tot oppida litoraue Italiae praeternavigantem, tali ludibrio oculorum captum esse proposuit. Iam in Aen. III, 72 (discessus de Thracia narratur) legimus... *provehimur portu terrae urbesque recedunt*. Quanto simplicior Propertius, qui in eadem conditione, Romam liquens, nihil nisi *Romanae turres valeatis* exclamat! (III, 21, 15). At propter exoptatae Italiae oram Aeneae terra... *se attollere visa aperire procul montes...* (Aen. III, 205 sq.) deinde vero, cum naves ad extremum a meridie Tarentinum sinum appropinquant, *attollit se diva Lacinia contra* (552)... denique propter Siciliam... *arduus inde Acragas ostentat maxima longe moenia...* (703 sq.). Sed quae de introitu in Hadruntum, Calabriae portum, leguntur, plurimum valent ad Vergilianam aciem oculorum subtilem cognoscendam. En quae huc spectant (III, 530 sq.): *...portusque patescit Iam proprior templumque adparet in arce Minervae... Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum Ipse latet, gemino demittunt bracchia muro Turrili scopuli refugitque ab litore templum*. Observationes nonnullas, passim in his versibus dispersas, non neglegas velim, quae scenographiae, ut ita dicam, sensum manifesto nobis aperiunt; quarum haec erit prorsus singularis Minervae aedem, prope litus — ut navigantibus ex longinquo visum est — sitam, nave succedente in interiorem continentem paulo abscedere. A vera temporis ratione in his quoque, ut totiens solitus est, poetam aberrasse recte ponemus: Homericus enim Ulixes nec non Aeneas, eius aequalis, talia percipere vix potuerunt umquam, quae

post multarum denique aetatum contentionem ac laborem homines, Augusti saeculo viventes, subtiliter cernebant. Homericae indoli haec, cum maxime, locutiones respondent:

Aen. III, 522: *quam procul obscuros colles humilemque videmus Italiam.*

554: *tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna...*
 aut VI, 357: *...prospexi Italiam summa sublimis ab unda,*
 cum quibus conferimus: ε 279 sq.: *ἐφάνη ὄρεα σκιάοντα γαίης Φαιήκων...* εἶσατο δ' ὡς ὅτε ῥίνον ἐν... πόντῳ aut ibid. 392 sq.:
εἶσιδε γαῖαν | ὄξυ μάλᾳ προιδών, μεγάλου ὑπὸ κύματος ἀρδείς...

Si propter multorum saeculorum discrimen non est cur miremur alia Vergilium, et multo acrioribus oculis, atque Homerum animadvertisse, nihilominus apud nonnullos eiusdem aetatis poetas imbecillitas quaedam seu incuria in his rebus manifesta conspicitur. Sic cursus maritimi descriptio, quem Ovidius secundum Ponti Euxini litora fecerat, (Trist. I, 10, 14 sq.) consimilibus observationibus omnino caret. De qua negligentia depressus exsulis animus poetam sane excusaret, nisi iam in Met. XV, 49 sq. Myscellus, eadem fere atque Aeneas oppida Italiae praetervehens, talia ex aequo parum curasset, ut non dicam de Fast. IV, 278 sq., ubi Magnae Matris statuam, ex Phrygia in Italiam vectam, descripsit poeta non sine multarum regionum commemoratione. Attamen non defuerunt aequales, qui, velut moerem aliquem secuti, insigni cum studio describerent, quomodo regiones in oculis paene navigantium faciem formamque nonnunquam verterent. Sic Nysi filiam, de Minois nave suspensam et per aequora tractam, Ciris epyllii auctor ea, quae posteriores certe per mare Aegaeum peregrinantes Romani conspiciebant, cernere fecit: Ciris (v. 463 sq.) Isthmon relinquit *angustis inclusum faucibus* (463)... praeterit abruptas Sironis rupes (465), iam longe Pirea cernit notasque respectat Athenas (468 sq.). *Iam procul e fluctu Salamina suspicit arva, Florentesque videt iam Cycladas...* (470 sq.); una ex parte sinus Sunius patescit, ex altera vero statio Hermioifea (472). Hanc descriptionem iterum Mantuanus superavit, locorum variam naturam depingens nec non id quoque acute commemorans, quomodo regiones in

conspectum veniant evanescantque e. g. Aen. III, 270 sq.: *iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos... et Neritos ardua saxis. Effugimus scopulos Ithacae... mox et Leucateae nimbose cacumina montis et formidatus nautis aperitur Apollo*¹. Quae cum ita sint, Vergilii indolem vix in maius tollere videbimur, asseverantes Aeneidos auctorem sensu multo subtiliore in his viguisse atque reliquos poetas aequales.

Non abs re profecto erit monere pictores, in Italia tum vitam degentes, nonnullas difficultates, quas scenographiae rationes secum ferebant, profligare feliciter conatos esse. Contentiones illae non tam in picturis Primae Portae re-pertis conspiciuntur, quam in topiariis operibus Vaticanis, quibus Odysseae carmina illustrantur, imprimis autem in tab. III nec non IV², ubi saxa litorea videmus, quibus portus in arcum curvatus continetur, in recessu naves in alto apparent. In I. quoque tabula hinc greges, illinc naves a tergo adumbratae visuntur. Si iam tum igitur scenographiae effectus non neglegebantur, probabile videtur ea, quae iam Agatharchus *σκιαγράφος*, Aeschyli aequalis, temptaverat, hellenisticis temporibus aucta, Augusti demum aetate incrementum praecipuum cepisse, praesertim cum artium fautores Romani tales effectus a pictoribus exspectassent³. Quomocumque se illud habet, poetae, qui una cum Vergilio vivebant, sane haud multa incitamenta stimulosque pictoribus eiusdem saeculi adicere potuerunt, quorum praecursores Graeci, post rudimenta iam a Polygnoto posita, spa-

¹ cf. Forbigerum a. l.: *e longiquo in conspectum venit*. Item Servius a. l. sic *aperitur* explicat: *nauticum verbum quoties cedente eo, quo impeditur aspectus, aliquid patescit*.

² Editionem dico *K. Woermanii*: D. ant. Odysseelandschaften vom Esquil. Hügel., München, 1876.

³ Id nuperrime *F. Koepf* docuit (D. Problem d. dritten Dimension in d. gr. Flächenkunst, N. Jahrb. f. Wiss. u. Jugendbdg. III, 1927, 397) multorumque monumentorum exemplis demonstravit (388 sq.), quomodo artifices antiqui longe operam consumpsissent, ut recessum imaginis apte exprimerent: personarum figurae, quae in pictura abscedere, i. e. in extrema scena collocari debuerint, supra saxa particulatim exstantes pictor delineavit, in quibus ceterae personae sedent.

tium penicillo adumbratum satis perite comprehendere didicerunt.

Ut iam, unde digressi sumus, revertamur — extremam Libyci portus scenam prae singulis eiusdem descriptionis rebus in spatio disponamus necesse est. Totam imaginem Vergilius veluti ex naufragorum Aeneadarum loco depingebat, qui angustiis inter insulam litusque superatis iam ex portu tranquillo regionem amoenissimam suspiciunt. Sic in Aen. III quoque perfugae oculos in Italiae oram ex navibus coniciunt, in VII, 29 sq. Aeneas, postquam Tiberis ostium attigit... *ingentem lucum* adversum intransibus *ex aequore prospicit*. Longe aliter, ut exemplum contrarium apponamus, in tabulis Vaticanis, ubi Laestrygonum portum, ex continentis parte aspectum, pictor adumbravit (apud Woerm. tab. III et IV). Illa igitur *scena* silvis obsita — *pars theatri adversa spectantibus* id quod rectissime Servius admonet — in recessu collocanda est litoris interioris, minime vero in insula, ut Weylandius contra omnium fere commentatorum opinionem sine causa probabili proposuit¹.

Ea, de quibus nunc agimus, cum illa quaestione cohaerent, quomodo res singulae descriptionis nostrae in spatio totius imaginis collocandae sint. Disceptatio sine dubio secundi, ut ita dicam, est ordinis minorisque momenti. Iam post *Th. Plüssii* observationes (l. c. 320), qui liberam solutamque scuti descriptionem (Aen. VIII, 626 sq.) commemorans docuit epici carminis auctorem plerumque sui iuris hominem esse ideoque imagines non eodem tempore apparentes, sed veluti succedentes cernere, *Weylandi* cura, quam singulis rebus in Libyco portu disponendis dedit, supervacua videtur, praesertim cum Mantuani securitas in locorum descriptionibus planissime totiens prodierit². Id, cum plurimum, animadvertere convenit poetam in eisdem fere designationibus versari, quas Plüss (p. 320 sq.) in scuti descriptione non neglexit: notationem *hinc et hinc* (I, 162), qua rupes regionem ex utraque parte prope litora

¹ l. c. p. 7. Ante Weylandium *W. Gebhardi*, ed. Aen. Paderborn 1870, etiam antrum in insulam transportavit.

² cf. *E. Norden*, P. Verg. Maro, Aeneis, Buch VI, Lpzg. 1903, a. v. 42, 273 sq., 548 sq. Heinze l. c. p. 344, 347.

comprehendentes designantur, cum illa comparamus, qua classis stationes indicatae sunt: *hinc Augustus* (VIII, 688)... *hinc... Antonius* (685). At locutio *in medio*, quam poeta de classe ad Actium constituta (v. 675) usurpavit, aequae mollis legitur et ambigua, quam nostrum *fronte sub adversa* (166), de antro dictum, quod et Ovidianum Met. III, 155 sq. (*val- lis... cuius in extremo recessu... antrum*) minusque pespicum eiusdem auctoris Met. XI, 235 (*est specus in medio*) in memoriam revocat. Praeterea antrum rupe eget in recessu, ardua et recta, ceterum autem in medio arenas potius litoris animo nobis effingimus, quibus paulo desuper pratum convallis vicinum est. Negari tamen non potest Vergilium parce, sed cum quadam veri similitudine, singulas res in portus Libyci vicinia disposuisse¹, cum e. c. Propertius, securus plerumque regionum depictor, commentatorem demum cogeret, ut ex disiectis passim mentionibus totam locorum speciem componeret et ordinaret (cf. Rothsteinii operam, quam in Prop. III, 3; IV, 43 sq. explicandis adhibuit). Eo certe ipso factum est, ut nonnulli docti in portus descriptione Vergiliana hac ex parte explananda operam saepius perderent. Ut hanc enormem prorsus interpretationum diversitatem cognoscamus, sufficit ea solum percurrere, quae Weylandius l. c. p. 7 sq. congegit². Inde, si quis nostra quidem aetate portus Libyci imaginem delineare studeret, singularum rerum dispositione nemini fere cumulatissime satisfaceret. Hanc tamen ne ipse Vergilius quidem curasse videtur³.

¹ Haec diligentia, in imaginibus minoribus a Mantuano probata, lectori plane satisfacere videtur; e. c. Aen. II, 512: *aedibus in mediis... ingens ara iuxtaque veterrima laurus incumbens arae...*, aut VIII, 233 sq. ubi Caci spelunca describitur.

² Si tamen *G. Koch*. Zur vergl. Behandl. v. Aen. I, 157/222 u. Od. X, 135/86 Progr. Eisenach 1904, his parum contentus, descriptionem Vergilianam tamquam absurdam inchoatamque vituperavit, Homericeam vero artem in regionibus describendis conspicuam ad intelligendum apertam laudibus extulit, afferenda erit Calypsus antri adumbratio (e 63 sq.), in qua Plüssius (l. c. 326 sq.) neque descriptionis concentum neque plasticae artis sensum deprehendit.

³ Ne id quidem sequebatur consilium, quod Rothsteinius Propertio imputavit (ed. vol. I. p. 477 ad II, 10, 25) docens poetam, cum nonnulla,

Si vero in portus descriptione rerum singularum dispositio accuratior, quam minime quidem requirimus, desideratur, id quod iam apud Horatium offendere nobis contigit (cf. *Charisteria* 259), quaeritur, num totius imaginis concentus alia quoque ratione explicari possit, qua adumbratio Vergiliana, Homericae imitationis modum excedens, cum ipsius poetae eiusque aequalium studiis aptius coniungatur.

III.

Aeneidos auctor, patriae amantissimus, antiquitatis memoriam tanta complexus est caritate, ut praeterita cum suae aetatis rebus saepius conecteret ac plerumque imaginibus, e fabulari Romanorum historia petitis, colores paulo recentiores aspergeret¹. His G. Freytmansius (l. c. p. 219 sq.) impulsus est, ut coniceret Aeneam, Carthaginis arces surgentes de colle summo admirantem (Aen. I, 418—430), neminem alium nisi Vergilium ipsum esse, qui Forum aedificiis tum compleri Romanque latericiam olim marmoream fieri de Capitolio monte despiciere potuisset. Novissimis vero temporibus G. Gastinel² eandem descriptionem ad ipsius Carthaginis commemorationem rettulit, in cuius cineribus Augustus imperator, Caesaris magni consilium veluti hereditarium secutus, a. 29 Coloniam Iuliam restituerat³. Quoniam imitationem Homeri, in descriptione nostra haud obscuram, cum posteriorum hominum studiis aliqua ex parte iam supra coniunximus, quaerendum nunc est, num Libyci

quae ad locorum descriptionem pertinent, reticuisset, silentio illo lectoris animum detinere in animo habuisse.

¹ Id peccatis in temporum ratione admissis compluribus uberriam materiam praebuit, de quibus E. Collinieux, *La couleur locale dans l'Énéide*, Grenoble 1880. olim disseruit. Librum non cognovi, nisi ex H. Genthii censura: *Burs. Jahresb.* 35, 1883, 235 sq.

² *Carthage et l'Énéide*, *Rev. archéol.* XXIII, 1926, 85.

³ Carthaginis veteris aedificia reficienda Francogallorum animos non minus nostra aetate commovent. Huc Société des Amis de Carthage spectat, Parisiis proxime constituta, nec non I. Carboni, nuper fato erepti, liber c. i. *La Tunisie en l'an 2000*, Bruxelles et Paris 1922.

portus pictor Romanus et alia quoque ex vitae, quae tum erat, rationibus rebusque proxime hauserit.

R. Sabbadini, Studi critici sulla Eneide, Lonigo 1889, 13, — ut ex Ladewigii Schaperi adnotationibus comperio (l. c. II, p. 314 ad Aen. I, 161) — Plinii Ep. VI, 31, 15—16 in comparationem Vergiliani loci vocavit, ubi portum Centum Cellis Etruriae commemoratum habes; scriptoris animum vel maxime insula occupavit, quae in ore portus adurgens fluctus frangat *tutumque ab utroque latere decursum navibus praestet... arte visenda* (§ 16). Cum ipse Itali doctissimi librum ad manum non haberem, nescio, quae summa conclusionis fuerit apud virum, de Vergilianis libris recensendis optime meritum. Me profecto analogia a Sabbadinio allata adduxit, ut haec proponerem: insulae nativae, portuum ostiis praetextae, quibus Orientis regiones prorsus abundant, prope Italiae litora paene non existant¹. Tales igitur Vergilio quoque vix contigit videre. Sed divites Romani, praeter modum profusi, molibus arte iactis mare libentissime extrudebant, id quod iam Sallustius B. C. 13, 1 testatur nec non Horatius C III, 133. Extra haec opera, privatorum sumptibus et effusionibus excitata, in Portu quoque Iulio militari moles visebatur, artificio perfecta: hanc Vergilius non sine quodam studio G II, 161 sq. attingit, fluctus memorans magno cum stridore claustra ferientes. Praeterea vero Africae terrae portus iam Poeni, postea vero Romani, ita tutos faciebant, ut magna ex parte post insulas, continenti obiectas, eos locarent. Sic Uticae portus insula nativa seu arte iacta claudebatur; Thapsi quoque, Tabarcae, Icosii (*Alger*), Tipasaë, Caesareae, Sigae, Magadori — in ore portuum insulae porrigebantur². Quae a Vergilio auditu accepta descriptionem nostram haud inepte ditasse videntur. — Cum autem Libyci quoque portus aditum poeta insula clausisset eamque certo veluti officio fungi iussisset, non incredibile videtur Mantuanum de illa

¹ cf. Nissenium l. c. I, 99.

² Testimonia affert *St. Gsell*. Histoire ancienne de l'Afrique du Nord I, Paris, Hachette 1920, II, ibid, 1921: I, 369 et II, 144 sq. (Utica), II, 133 sq. (Thapsus), II, 148 (Tabarca), II, 159 (Icosium), II, 160 (Caesarea), II, 164—5 (Siga), I, 483 (Mogador).

mole cogitasse, quae arte facta Carthaginiis portum propinquum (hodie *El Kram* nuncupatur) adversus omnes ventos tutum reddebat. Moles iam tum maxime celebrata, cum Carthago a Scipione obsessa teneretur, condita autem longe (App. Lib. 123: *ἐκ πολλοῦ*) antequam bella Punica exarserunt, penitus usque ad Byzantinorum hominum aetatem in usu fuit¹. Porius Libyci tuitionem Vergilius utpote poeta aequè perfectam et supra verum absolutam finxit, ac pridem Polybius, qui etsi rerum scriptor, in portus tamen Carthaginiis novae descriptione ea, quae ad insulae situm pertinerent, paulo variare non dubitaverat, id quod a W. Kahrstädtio demonstratum est². Itaque Mantuanus rem aequalibus scilicet probatam gratamque induxit, quam etiam in pictura quadam Pompeiana spectamus³, ubi portum artifex repraesentavit, insula longiore moleque obtectum⁴.

¹ Eius aggeris descriptio hodie non exiguis difficultatibus obstructa est: cf. R. Oehler Arch. Anz. 16, 1901, 140 sq.; 19, 1904, 173 sq.; nunc v. L. Carton, La Carthage punique d'après les recentes decouvertes, Rev. Archéol. XVII, 1923, 229 sq.; *idem*, Pour visiter Carthage, Tunis 1924, 20 sq., 59 sq.; ad portum Carthag. cf. St. Gsellium l. c. II, 38—78; *idem* p. 282 complures libros, huc spectantes affert. Ex libris vetustioribus cf. O. Meltzerum, Gesch. d. Carthag. II (Berl. 1896) p. 168 sq., 197—200; t. III (Meltzer-U. Kahrstädt, Berl. 1913) p. 16—21.

² Kahrstädtii opinione (Zwei span. Topographien, Neucarthago, Arch. Anz. 1912, 225) Polybius X, 10 sq., quo facilius loci opportunitatem a. 209 a Romanis capti celebraret, de industria tradidit insulam, portui praetentam (hodie *Escombrera* appellatur), duobus tantum fretis perangustis hinc et hinc naves admittere, cum revera fretum ab occidente paulo latius patuisset. De erroribus in Carthaginiis topographia a Polybio admissis peculiarem librum se editurum esse St. Witkowski, Historjografja grecka, Kraków 1927, III, 512, adn. ad p. 166 promittit, qui hanc regionem praesens lustravit.

³ W. Helbig, Wandgemälde Campaniens, Lpzg. 1868.

⁴ Ex vetustioribus commentatoribus Heyne ad A. I, 159 sine causa probabili inventionem Vergilii deterebat, contendens insulam quoque ex Homero (ι 116) imitatione depromptam esse. Diversas eiusdem exemplaris res in unum conflare iam Bucolicorum auctor adamavit, quam componendi rationem G. Leblouton, Vergil. u. die bildende Kunst, Zeitschr. f. österr. Gymn. 66, 1915, 195 cum pictoribus Pompeianis contulit, qui res ex fabulis ductas cum regionum descriptionibus coniungerent. Sed recentissimus Vergilii defensor, H. Goelzer (ed. Bucolicorum, Paris, Les belles lettres 1925, p. 10 et adn. 1) contaminationis suspicionem repudiavit, quam si quis in nostra descriptione concederet,

Sequitur, ut ad antri commemorationem transeamus. Apud poetas Alexandrinos *άντρα* quae valuerint, vel eis locis compluribus edocemur, quos *C. Prinz* conguessit in *Thes. l. l. II*, 191 sq. Alexandrinorum successores Romani specus libentissime in carminibus memorabant: pastorum amores in antris celebrantur (Verg. B III, 9), ibi Chromis et Mnasylyus Silenum dormientem deprehendunt (ibid. VI, 13); Aeneas ac Dido item in speluncam coeunt (Aen. IV, 165). En *antra furtiva* illa habes, a Propertio memorata (III, 13, 33; cf. Ov. Ars II, 621). Sed ut scriptores mittamus, homines quoque eius aevi eadem requirebant, qui, cum urbis strepitum vitaeque urbanae molestias fugerent, silvarum solitudines petebant, in antra refugere adamaverunt. Item divites, qui Augusti aetate hortos aedificabant, ut speluncae in his secessibus construerentur, plerumque mandabant. Inde *operosa antra* (Prop. III, 2, 12), ex lapillis seu pumicibus facta, Cynthiae amator optime novit (ibid. 27), aequae ac Vergilius et Ovidius¹. *Inlati ruris imitatio*, ut Plinii minoris locutione utar (Ep. V, 6, 35), oculos videlicet decipiebat: Ovidius, postquam in Met. XI, 235 speluncam commemoravit, haesitat... (*est specus in medio*) *natura factus an arte ambiguum (magis arte tamen)*... Cf. quoque ibid. III, 155. Indomitam tamen rerum naturam contemplari magis tum placebat; itaque nativa antra manu aedificatis praeferrebantur: tale igitur... *scopulis pendentibus antrum* Aeneadis quoque proponitur I, 166, dum illos Libykos veluti hortos intrant, ad eximiam pulchritudinem a poeta depictos. In antro fons est nec non sedilia saxea. Quae si Vergilius ex HomERICA spelunca re vera hausit (μ 318: *νυμφέων... Δόωκοι*), ut plerumque apud commentatores legitur, illud profecto addendum est poetam, qui aequae ac Plinius prope villas amoenas *sedilia e marmore* facta, ambulantiibus destinata, fonticulosque (Plin. Ep. V, 640) animadvertere potuisset, in nostra descriptione, quae sola mente ficta est,

exemplum sine dubio laudabile nobis praesto esset, cum res singulae ex diversis Homeri carminibus derivatae feliciter congruerent. Imagines confusas et male cohaerentes in Aeneide non desiderari docent Schanz l. c. p. 51, Heinze l. c. p. 251 sq., Kroll l. c. p. 161 sq.

¹ Locos conguessit Rothsteinus ad Prop. III, 3, 27.

non sine causa sedilia e *vivo... saxo* memoravisse. Propertio quoque simile consilium fuisse videtur, cum IV, 4 exposuisset Silvani luco nativam aquam obstrepere, non arte ductam, id quod in hortis plerumque fiebat¹. Specus nativus Senecam philosophum religione quadam semper imbuibat (Ep. 41, 3: *specus... non manu factus*): quod igitur Vergilius nymphas in antro habitare finxit (*nympharum domus*: 168), nil est, cur miremur.

Deas eis, quae mox agentur, adesse poeta sibi proposuit; antri igitur incolis spectantibus Aeneadae navibus egrediuntur, Aeneas venatur, comites cenam parant. Tale commercium inter deos loci hominesque saepius intercedit apud poetas sub Augusto florentibus. Ad Horatianum C I, 17, quem locum iam in Charisteriis p. 262 sq. tractavi, addimus nunc Propertium IV, 4: lucum sub Capitolio umbrosam tamquam Silvani domum poeta animo concepit (v. 5); brevi tamen mortales in eandem scenam prodeunt: nempe Tarpeia ad fontem properat Tatiumque in campis ludentem procul miratur (v. 15 sq.). Sic non aliter atque in Libyci secessus topothesia — dei actionis expertes et homines agentes secum compositi sunt. Regiones personatas simili modo in topiis Vaticanis, Odysseam illustrantibus, repraesentatas esse iam monuimus (cf. Charist. 262 sq.). Sed in Pompeianis quoque parietibus tales compositiones minime desiderantur. Cf. *Helbigium*, Wandgem. I. c. N. 1279: In locis scopulosis Paris cum grege conquiescit — in recessu vir quidam barbatus accubans conspicitur, Idae deus. Item in alia pictura (N. 1285) montis numen iuvenile Paridis iudicio procul adest. Nonnumquam numina loci ea, quae aguntur, considerant: apud Prop. II, 32, 37 Hamadryades nec non Sileni amoribus Anchisae et Veneris paene intersunt, apud Vergilium B III, 8 pastores in spelunca lascivientes a Nymphis deprehenduntur². In vertice antri ulularunt nymphae, nuptiis Aeneae Didonisque praesentes (Aen. IV, 168)³. Quae

¹ v. Rothsteinium a. l.

² Corydon nymphis audientibus cantat: Prop. II, 34, 75.

³ Id iam apud Apoll. Rhod. III, 1217 legitur. Imitationes posteriores complures Forbiger a. l. affert.

testium assiduitas prope molesta etiam in compluribus picturis Pompeianis cernitur. Haec exempla digna sunt, quae ponantur: Martem Veneremque iuvenis aliquis desuper contemplari videtur (Helb. l. c. N. 323; cf. quoque N. 340). N. 1390: puerum puellae in rivo lavant; Σκοπιά, montis cacumen personatum, scenam illam contemplatur. N. 1261: Hyllam nymphae ad aquam trahunt; in rupibus duo iuvenes sedent (sic νομαί a poeta mente conceptae sunt) et, quae infra fiunt, spectant. Numina igitur regionis, quibus pictor, plasticae artis commercio usus, deorum speciem dedit a poeta in locorum descriptione aequae sunt memorata.

Abhinc aliquot annos *R. Pagenstecher* (l. c. p. 273 sq.) monuit artifices antiquos in operibus componendis hominum praecipuam habuisse rationem: rerum naturam solam hominumque cultu incorruptam, quam e. g. in pictura Primaportana cernimus, raro admodum pictor repraesentabat. Inde Vergilius quoque vitam descriptioni nudae induit, confertas Aeneadarum catervas agilesque introducit. Socios quiescentes aut in cenam incumbentes Aeneas una cum Achate deserunt. Quos viciniae speculatores si iterum ad Romanorum consuetudines revocare nobis placebit, proximum erit, ut litterarum exemplaribus omissis¹ credamus Vergilium hoc loco et illam non praeteriisse voluptatem, quam primores Romani cepissent, cum ex tumulis, arte suggestiis, turribusve regionem circumspectarent. Prospectu longo Horatius, ut notum est, delectabatur (cf. Charist. 253 sq.). Ovidius autem his quoque urbem celebrat, quod *de septem totum circumspicit orbem montibus* (Trist. I, 5, 69)².

¹ Sic Ulixes κ 146 sq. σκοπήν παιπαλόεσσαν ascendit, quo facilius ignotae terrae res perspiceret.

² Turres ad haec oblectamenta aptae, in hortis erectae, praeter picturas Pompeianas ex Plinii descriptionibus nobis innotuerunt (Ep. II, 17, 12). Quas et Mart. III, 58, 46 non ignorat longissimumque prospectum ex Ianiculo petatum laudat (IV, 64, 11 sq.). Itaque Aeneas non sine causa Carthaginem, modo aedificatam, de summo colle miratur: Aen. I, 419 sq., cf. VI. 677, 754. Consimiles descriptiones hellenisticae aetatis poetae praecipue adamaverunt: Apoll. Rhod. I, 1107 sq., III, 162 sq. Horatii aequales saepius deos de caelo spectantes memorant: e. g. Verg. Aen. I, 224 sq., XII, 134; Ov. Met. II, 708 sq., IV, 624. Si Mer-

Aeneas nullam in conspectu navem animadvertit, cervorum totum agmen (186) in convalle sub nemore pascentium deprehendit et mox bestias sagittis exagitat. Venandi studium (ac voluptas) in Oriente natum, Alexandri M. saeculo imprimis auctum est; principibus tum venantibus *παράδεισοι* illi vastissimi patebant. Ipsum quoque Orientis domitorem artifices hellenisticae aetatis venantem saepenumero repraesentabant¹. Inde ab hominibus orientalibus Romani rem venatoriam tarde quamvis, secundo fere a. Chr. n. saeculo, didicerunt. Varro etiamtum illos irridebat, qui cervos innocuos sectarentur (Menipp. frg. 361 ed. Buecheler-Heraeus). At Aeneas Vergilianus scrupulos tales plane ignorat. Si tamen poeta venationum notitiam parum probavit, minime, ut Koch olim l. c., in hac ignorantia offendimus. Id vero plus valere nobis videtur, quod Mantuanus ludum commemoravit, principibus tum Romanis gratum acceptumque, ut e. g. ex Horatio patet (cf. C I, 1, 25 sq.; Epp. I, 6, 58 sq., 18, 44). Ad eandem rem, primis tantum lineis hoc loco descriptam, cum studio manifesto iterum poeta recurrit et Aen. IV, 131 venationes, regali iam apparatu instructas, pingit cum canibus, retibus, plagis.

Haec utique non neglegas velim: *τοποθεσία*, quam examinamus, Vergiliana nonnulla exhibet, quibus homines eiusdem saeculi oblectabantur. Eadem plerumque ad Homeri descriptionem prope accedunt et partim tamquam comparia inter se exaequantur.

IV.

Quae non ita pridem contra Mantuanum, utpote Homeri Theocritive imitatore inieptum, e. c. *Schanzius* protulerat, nostra aetate paulo mitigata sunt. Sic *H. Goelzerus*, recentior Vergilii editor², persuasum habet non solum in

curius volans (Aen. IV, 246 sq.) Atlantem montem despectat, Hermes Homericus nondum talibus observationibus gaudebat (scil. ε 43).

¹ Monumenta *W. Helbig* apponit, Unters. über d. Camp. Wandmalerei, Lpzg. 1873, p. 274 sq.

² Cuius propugnatoris acerrimi ardorem *W. Aly*, censor, sedavit: Phil. Woch. 46, 1928, 819 sq.

Ecloga I, quae nunc a compluribus tamquam genuina nostro adiudicatur, sed et in V, IX imprimis vero in VII nonnullas res, ad regionis descriptionem apud Theocritum spectantes, Romanum vatem mutavisse inque earum locum ea potius praebuisse, quae ad paterna rura describenda conferrent¹. Libyci portus descriptio ad Homeri imitationem attinet. Cum Mantuanus Homeri imaginem non paucis distasset (scil. silva, nemore, prato, insula nec non eis, quae a pictoribus parerga vocantur), plurimam in describendo inventionem praestitit, cui insigne ruris studium, quo ipse tenebatur, certe profuerat. Satis erit urbium populorumque Italorum indicem (Aen. VII, 641 sq.) cum Homericō catalogo (B 484 sq.) conferre, ut perspectum habeamus, quantum Vergilius in aridissima locorum enumeratione uberior eorum pictor evaserit. Plerumque enim ex catalogo Vergiliano tamquam topia minuta excerpere contingit (cf. v. 683: *roscida rivis Hernica saxa*; 697: *et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos*; 740: *...et maliferae despectant moenia Abellae*). Iliadis auctor unico adiectivo regionis naturam simpliciter concludere consuevit: eg. Πύρασον ἀνδρόμεντα, Πτελεὸν λεχεποίην (695), Ὀλιζῶνα τρηχίαν (717). Illam descriptionum ubertatem Fr. Ehrlich (l. c.) olim celebravit, cum mediae Italiae regiones ad Aeneidos fidem exprimere sibi proposuisset². Inde descriptio, quae in Odyssea v 97 legitur, mihi quidem picturas Vaticanas in memoriam reducit, arboribus plantisque parcius adornatas (has imprimis, quibus Laestrygonum portus adumbratur: tab. I, II, IV, ed. Woermann) nec non consimilia Pompeiana topia, ubi scenas ex fabulis ductas repraesentatas cernimus — extrema vero portus nostri scena arborum potius refert

¹ cf. Goelz. ed. Buc. p. 6, 9, 10 sq. 31 (ad B. III), 45 (ad V), 46 (ad VII), 68 (ad IX). Nuper postquam J. Hubeaux, Le réalisme dans les Bucoliques de Virgile, Liège-Paris 1927 (rec. M. Delcourt, Rev. des Et. Lat. VII, 1928, 233 sq.), Meleagrum Gadareum, epigrammatum auctorem, Bucolicorum fontibus inseruit, accuratius scimus, quid Vergilius sibi ipsi debuerit. Ceterum de Theocriti imitatione cf. Kroll, l. c. cap. VII.

² Macr. Sat. V, 151 sq. aliam profecto artem descriptionis laudat, ostendens Vergilium nec ordinem servasse in recensendis populis neque eandem formulam in commemorandis.

densitatem, in tabulis illis pictis manifestam, quibus Liviae domus Primae Portae distincta est.

Pictorum monumenta eo magis apud Vergilium, in comparationem vocare licitum concessumque est, quod studia, quibus poetae regionum descriptiones prosecuti sunt, et apud topiorum auctores Romae tum praecipue vigeabant (Plin. h. n. 36, 116). Illud profecto admiramur, in quanta artificiorum familiaritate homines eius saeculi omnino versati sint. Horatius pingendi artem minime neglegebat: itaque C I, 4 ad Pompeianarum compositionum indolem revocare nobis placuit (Charist. 256 sq.). Propertius vero vix dissimulat (II, 6, 27), quantam vim artis monumenta ad hominum mores formandos habuerint. Sed et apud Vergilium Aeneas artis miracula contuetur (Aen. I, 456) *...videt Iliacas ex ordine pugnas... animum pictura pascit inani* (464)¹, cf. quoque VI, 20 sq., VIII, 618. Quod igitur regionum descriptiones Vergilianae tamquam pictoris officinam redolent, non est cur mireris². Itaque Vergilius, utpote acerrimus spectator eorum, quibus tum theatralis scena ornabatur, quaedam in regione descripta eminere, quaedam autem abscedere animadvertit silvarumque recessu portum Libycum continuit. Omnino autem τοποθεσία, si summam imaginis totius animo comprehendimus, in unum praeclare conspirat concentum. Regio gignentibus uberrime adornata est, sed pigmentorum varietas, quam poeta alioquin rebus saepe numero aspergebat³, nostro in loco desideratur: sic ars describendi in linearum imprimis effectibus posita est. Postquam vero personae, quae agentium partes susceperunt,

¹ cf. v. 455: *miratur, videbat* (456), *adgnoscit* (470), *adgnovit* (488), *stupet obtutuque haeret defixus in uno* (495). De commercio inter poetas eius aetatis et artificia intercedente complures sane libri docent. Quantum ad Vergilium non neglegas Leboutonii dissertationem.

² Umbrae quoque effectus a Vergilio non neglegebantur, quibus Vaticanorum topiorum auctor haud imparem se praestitit (cf. tab. VI ed Woermann). Hi loci Vergiliani huc spectant: G. III, 145, II, 297; B. I, 83, II, 67; id. Culex 204. Ex Ovidii carminibus conferas velim: Met. III, 50, 144, V, 614

³ cf. K. Schuman, Die Farben als Charakterisierungsmittel in d. Dicht. d. Verg. u. Horaz., Diss. Erlangen 1922.

a poeta introductae sunt, *τοποθεσία* ad illa potissimum topiaria opera accedit, quorum res apud antiquos ex fabulis depromebantur (cf. picturas Vaticanas, Odysseam illustrantes), ut apud recentiores pictores scenae ex rerum gestarum historia plerumque hauriuntur.

Atque Vergilianae descriptionis originem investigare si placet, ut mea quidem fert opinio, non solum Phorcynii portus ratio habenda est, sed eorum etiam, quae ipsi poetae usu saepius venerunt. His rebus, quas ipse in vita perceperat, exemplar ex litterarum memoria petitum non solum immutatum est, sed ad hominum quoque, qui sub Augusto erant, consuetudines propius delatum. Postquam vero in descriptione Vergiliana apparuerunt nonnulla, quae procerum eius saeculi Romanorum oblectationes produnt, ab his suspicio oritur Aeneidos auctorem, utpote qui praesentia cum praeteritorum recordatione conglutinare assuevisset, Homericum exemplari innisum, hortos potentiorum, optime sibi notos, in animo habuisse eorumque formam ad eximiam quandam pulchritudinem pinxisse. Quae componendi ratio non abhorret profecto a Vergilii consuetudine. Nempe iam in Bucolicis quaedam ex Theocrito sumpta cum praesentium rerum memoria ab imitatore Romano conflata sunt, id quod *Helbigius* (Unters. 334) postea vero *Leboutonius* (l. c. 197) nonnullarum Pompeianarum picturarum compositioni contulerunt: (e. g. Wandgem. N. 1228, 1142) in proxima vicinia rerum, quae certe Bucolicorum naturam prae se ferunt, sumptuosa divitum Romanorum aedificia a pictoribus repraesentata cernimus. Sic Vergilius quoque veram vitam litterarumque exemplar Homericum inter se conciliabat.

Horti amplissimi, manu consiti, qui naturae miracula imitabantur, Augusti aetate iam non insoliti erant¹. Umbrosam silvam amoenosque ad Tiberim secessus Prop. I, 20, 7 et 10 commemorat. Tali silva Tiberina Tullus dives gaudet (id. I, 14, 1 sq.)². Res erat pictoribus quoque eius

¹ De his cf. quae *Friedländerus* exsecutus est, Darstell. aus d. Sittengesch. Roms, II, 198 sq. 267.

² Hortorum, arte conditorum, Propertius in carmine etiam III, 3 fortasse reminiscebatur: cf. Rothsteinium I, p. 477 (Anhang).

aevi accepta optimeque nota, ut topia supra apposita testantur. In hortos amoenos principes Romani hospites primumque convocabant, quibus procerum ludis Vergilius plane ut videtur interesse potuit (*G. Boissier*, Nouvelles prom. l. c. 265). Poeta, qui tanto amore patrias regiones semper recordatus est, patrimonio amisso invitus Romae commorabatur, cuius fumum strepitumque procul dubio moleste ferebat. Quotiens igitur Campanum secessum liquens Tiberinam urbem visitabat, domoque Esquilina utebatur, Maecenatis horti vicini aliorumque principum, quos noverat, virorum, cum rus in urbe (Mart. XII, 57, 21) praeclare imitarentur, certe quidem satisfaciebant poetae, cui *latis otia placuerunt fundis, speluncae vivique lacus et frigida Tempe... mollesque sub arbore somni...* (G II, 493). Quod vero Mantuanus iam ad Spercheum se commorari, iam in gelidis convallibus Haemi animo nonnunquam effingebat (ibid. 486 sq.), posteriorum demum hominum luxus somnia talia rata fecit: sic in Neronis hortis silvae, in modum solitudinum satae, aut aperta spatia et prospectus oculis ambulantium se offerebant (Tac. A. XV, 42), prope Hadriani villam Tiburtinam celeberrimae regiones ut Tempe, Canopus, Lyceum ipsius naturae imitatione conditae sunt (H. A. V. Hadr. 26)¹. At Vergilius facile utpote poeta hortos, quales ipse cognoverat, ad Phoreynii videlicet portus Homericum similitudinem depingebat.

Sin verum est Aeneidos auctorem tempus actum tamquam exemplum perfectum atque absolutum aequalibus proposuisse, adumbratio nostra illuc quoque spectare videtur, horti amoenissimi specimen. Inde autem, quod proceres Romani poetae aequales in regionem depictam non minus apte conveniunt atque Aeneae comites, argumentum haud spernendum haurimus contra *Schanzii* accusationes (Gesch. d. röm. Litt. II, 1, 3, 81), quibus praeteritorum nec non praesentium discrepantia illa, quam exprobrabat, petebatur. Praeterea vero apparuit Libyci portus pictorem haud in omnibus revera a Homero pendere: Vergilius non unam rem summae totius adumbrationis feliciter congruentem suo

¹ cf. Friedländerum l. c. III, 103 sq.

Marte affinxit et contra omnes inventionis detractores descriptionem composuit, saeculi deliciis tantopere respondentem, ut lectores, qui eiusdem aetatis erant, Odysseae verbis (ε 73 sq.) admirationem optime reddere possent: ἔνθα κ' ἔπειτα καὶ ἀθάνατός περ ἐπελθὼν δηήσαιο ἰδὼν καὶ τερφθεῖη φρεσὶ ἦσιν.... Luxu enim et profusionibus prope enervati simplicitatem homines tum appetebant, rerum naturam integram recentemque in hortis languidi imitabantur. Sic quia descriptionem ipsam cum Augusti saeculo conectere placuit, restat, ut rem plerumque a doctissimis agitatam paucis expediamus, veramne regionem ante oculos noster habuerit.

V.

Quaestionem iam veteres commentatores scrutabantur. Servius (ad Aen. I, 159), etsi poeticam licentiam aequè respiciebat, contendit tamen Vergilium, ne penitus a veritate discedere videretur, Carthaginis novae portum depinxisse. Atque revera Polybius (X, 10, 2 sq.) item Livius (XXVI, 42, 7 sq.), qui eum secutus est, portum oppidi longius recedentem commemorant, insula clausum. Etiam recentiores peregrinantes, qui haec loca adierunt, adnotant¹ aditum portus, *hinc et hinc* collibus praeruptis (nunc *Castillo de las Galeras, Castillo de San Julian*) munitum, in ostio parvam insulam (*Escombrera*) obiectam esse. Sed de Servii suspitione hactenus. Quamquam Servius hunc locum in Africa nusquam esse (ibid.) docebat, posteriores doctissimi his minime deterriti sunt, quominus portum nostrum in Africa ipsa investigarent. *J. Shaw* (XVIII saec.) ad sinum Uticensem, non procul ab Aquilaria vetere, montem, silva modice vestitum, antrum cum fontibus ac propemodum *sedilia ex vivo saxo* invenisse sibi visus est², quae recentioribus non item placuerunt: sic e. c. *G. Anceyus*³, qui descriptionem Vergilianam omni veritate carere pro certo ha-

¹ *K. Baedeker*, Spanien u. Portugal. Lpzg. 1897, p. 300.

² v. ed. Heynii-Wagneri II, p. 227; ad topographiam cf. omnino *Tissotium*, Geogr. comparée de la prov. rom. d'Afrique I (1884) p. 74 sq.

³ Enée a Cartage, Rev. Arch. 19, 1912, 155 sq.

bebat, quamquam situm collis, Carthagini imminentis (Aen. I, 119—120), accuratius designavit nec non saltum invenit, in quo Dido venabatur, speluncam in IV-to libro memoratam — ex Libyci portus descriptione nihil nisi fontem reperit, a Caesare b. c. II, 24 laudatum¹. Posteriores haud scio an serio talia tractaverint². Cum vero Vergilius Africam propriis oculis nunquam lustrasset, descriptio nostra cum sinu Neapolitano quoque coniungebatur³: nempe regionem a continentis parte montibus silvisque cinctam, cui Caprea insula amoenissima praetendebatur, Mantuanus vates penitus dilexit. Sic G. Freytmansius, cuius opusculum in limine dissertationis citavimus (l. c. 219 et adn. 2), non dubitavit, quin tabulae solis ope effictae, quibus sinum Neapolitanum cum Vesuvio monte item que Puteolanum expressum videmus, descriptioni Vergilianae accuratissime responderent⁴.

Quodcumque in illa interpretandi ratione, nostro quoque saeculo haud intermissa⁵, nobis displiceat, id quidem negari non potest Vergilium in his vatibus numerandum esse, apud quos locorum descriptiones ad veritatem plerum-

¹ Boissier (l. c.) in his solum regionibus versatur, quae Verg. in IV Aen. libro celebravit.

² eg. O. Melzerus l. c. I, 118 veterum quidem opinionem impugnat, qui descriptionem libere confictam esse contenderant. Sed nunc Goelzerus, Aeneidos editor (a. v. 168), ad Shawii inventa alludens, profitetur *on retrouve toujours ce que l'on veut*.

³ Iam ab *Addisonio*, *Grosleyo* descriptio nostra cum sinu Neapolitano quoque coniungebatur: v. ed. Heynii-Wagnerii II, 227.

⁴ *Danieli* dissertationem (Virgile and the bay of Naples. Old. Penn. Weeckly, Rev. of the Univ. of Pennsylv. XIII, 1915, 18 sq.), huc certe spectantem, ad manum non habui.

⁵ e. g. *R Henning*, Neue Erkenntnisse zur Geogr. Homers, Rh. Mus., N. F. 75, 1926, 266 sq. refert κ 82 et λ 13 ad Africae regiones, in naufragii vero descriptione Homerum ad Andalusiae oram alludere affirmat; idem Scheriam Tartessi situm et naturam prae se ferre contendit. *V. Bérardius* autem Calypsus antrum, a Homero celebratum, se invenisse persuasum habet, scil. inter Hispaniae promuntorium (*Cap Leon*) sinumque, qui nunc Benzus nuncupatur: cf. Bérardi librum, nuperrime editum, c. i. Les Phéniciens et l'Odyssée, Paris, A. Colin 1929, ex quo excerpta quaedam faciliore cura invenies in Rev. des Deux Mondes XLIV, 1, juin 1929, p. 649 sq.

que accesserint. Hanc G. Boissier in Aeneide manifestam aliquotiens approbavit (e. c. Nouvell. prom. 125, 214 sq. 307). Eandem profecto assequi ipse poeta elaborabat, cum in Graeciam iter institueret, id quod Phocas, vitae versibus scriptae auctor, hisce verbis demonstravit¹:

(126 sq): sed loca, quae vulgi memoravit tradita fama,
aequoris et terrae statuit percurrere vates,
certius ut libris oculo dictante notaret.,

Hanc tamen indolem non est cur in nostra quoque portus descriptione quaeramus, quae communes potius prodit colores. Atque profecto inutiles prorsus vanaeque eorum contentiones nobis videntur, qui ex regionum descriptionibus a vatibus adumbratis veritatem fidemque omnino nimis exquirunt². Idem, quantum ad villarum descriptiones Plinianas spectat, nuper *A. Guillemmin* recte ac iure monuit³. Simili ratione Phaeacum portum et insulam nemo prudens in orbis terrae tabula conquirat⁴. Iura vatibus debita nuperrime *A. Trendelenburgius* rectissime vindicavit⁵ docuitque poetas omni veritate maiores exstitisse, cum vero ad usum suum quaedam immutarent, nihil nisi beneficium singulare merito obtinere. Eandem licentiam Vergilio quoque, quantum ad portum Libycum, dare placuit. Atque ut in picturis Pompeianis raro admodum Campanae orae oppida certa vereque expressa cernimus, sic nostra quoque descriptio, non aliter atque Pliniana villarum adumbrationes (cf. Guillem. l. c. p. 8 sq.), communem tantummodo prodit ductum formamque. Nempe insula in ore portus porrecta,

¹ P. L. M. ed. Aem. Baehrens, V, p. 90.

² Sic Shakespearus, ut exemplum ponamus, Veronae nunquam commemoratus est, id quod doctissimis nullo paene impedimento fuit, quominus veritatem descriptionis in tragoedia c. i. Romeo et Julia manifestam efferrent.

³ *A. Guillemmin*, Les descriptions des villas de Pline le Jeune, *Bullet. de l'Ass. Budé*, N-o 19, 1928, p. 6—7. Atque revera commentatores diversas prorsus opiniones in talibus proferunt. Non neglegas velim *T. Frankium* (*Vergil. A biography*, N. York 1922) pro certo habere Bucolicorum auctori non ita Galliae Transpadanae, sed Campaniae tractus ante oculos observatos esse.

⁴ cf. J. Six, *Die Häfen d. Phäaken*, *Arch. Anz.* 42, 1927, 255.

⁵ *Ithaca wieder Ithaca*, *D. Hum. Gymn.* 39, 1928, 166 sq.

promuntoria scopulosa, sinus tacitus longeque recedens, spelunca fonte irrigua, silva — en res sunt, quae in ipsa natura tam saepe occurrunt, ut sine idonea causa diligentiores doctorum deciperent. Si secundum Culicis auctorem pastori (77 sq.) *et nemus gratum est et fecunda Pales et vallibus intus semper opaca novis manantia fontibus antra* — certe eiusdem saeculi homines, urbium incolae, in hortis amoenis talibus rebus gaudebant, id quod Libyci quoque portus pictor non praeteriisse videtur.

Nihil igitur obstat, ut cum Servio (a. l.) concedamus in Aen. I, 159 sq. merae topothesiae specimen poetam dedisse, fictumque secundum poeticam licentiam locum composuisse. Quae licentia hisce — ut ad extremum colligamus — mitigabatur: litterarum memoriae, quae in Phorcynii portus descriptione (v 97 sq.) posita est, primum omnium nonnulli se adiuxerunt colores, ex Augustae aetatis contentionibus et consiliis ducti. Cum Italiae occidentalis ora portus profundos, insulis seu promuntoriis tectos, non efficeret, Neapolitano solum sinu excepto¹, Vergilius, qui in Aen. VII, 725 sq. Tiberis ostium tantis laudibus extulit, hanc incommoditatem fortasse in animo agitabat, cui Augustus ita mederi conatus est, ut consilium caperet portus ad Ostiam exstruendi². Caesaris magnae cogitationes in ore omnium videlicet erant atque animos hominum penitus occupaverunt. Huc spectat, quod noster — ut iam supra monuimus — portum Iulium G. II, 161 sq. memoravit, a. 37 inter Baias Puteolosque a principe aedificatum³. Sed portus Libycus scilicet nativus cogitandus est, ut totus recessus a statu naturae plane nihil discedere videtur. Sic Africae oram, quae portibus nativis non nimis abundabat (cf. Gsell. I, 34 sq.), Aeneidos auctor his exornavit. Hoc primum. Deinde horti, quales Romani saepius tum faciebant, nonnullas res poetae suggesserunt, quae Homeri descriptionem

¹ cf. Nissenium l. c. I, p. 99, 155.

² Id nuper *J Carcopino* docuit: *Virgile et les origines d'Ostie*, Paris, Fontenoy 1919, cf. Jahn, *Burs. Jahresber.* 196, 1924, 278.

³ Portus manu factos iam Homerus, ex Graecia aut Phoenicia sibi ipsi notos, in Phaeacum terra collocatos descripsit: § 262 sq., „ 43 sq.; Six l. c. p. 255 sq.

partim referebant. Hoc quoque loco fabulae cum recentiorum hominum contentionibus feliciter colligatae sunt. Denique topiaria eiusdem saeculi opera certe non nullius fuerunt momenti apud Mantuanum vatem. Hortos quidem, penicillo adumbratos, admodum raro in parietibus antiquis offendimus, at non est neglegendum paucas tantum picturas nostram tulisse aetatem ideoque non omnes res, a pictoribus antiquis tractatas, saeculorum iniuria nobis ad cerendum relictas esse, quarum uberrimam sane copiam Ludius pinxisse traditur a Plinio (n. h. 35, 111). Id potius animadvertere placet: Mantuanus, picturis familiarissimus, regionis amoenae adumbrationem cum venationis scena feliciter contaminavit, cum vero descriptionem sic quadamtenus animatam ante oculos exponeret, scenographiae quoque rationes non neglexit et non aliter atque Vaticanarum picturarum auctor spiritum poeticum eo probavit, quod loci naturam incultam effinxit luxuque posteriore indomitam.

* * *

Proxime *G. Lippoldius* Dörpfeldiani libri censor¹ controversiam celebratam (*Ithaca-Leucas*) sic adeo componere conatus est, ut proponeret Homerum, cum in ipsa Ulixis patria pauca admodum invenisset, quae ad poeticum ornatum facerent, aliunde, ex Leucadia vicina, nonnulla — in his fortasse et ipsum portum Phorcynium — in Ithacam transtulisse. Id ideo in memoriam reducimus, quod Mantuanus, utpote qui in Africam nunquam venisset, in descriptione terrae sibi incognitae et eorum rationem probabiliter habuit, quae ab amicis narrabantur nec non ea, quae in Italia propriis oculis viderat, in usum suum convertit. Sic fieri potuit, ut in topothesiam nostram praeter Phorcynii portus memoriam non pauca abierint, quae Vergilius in hortis nobilium sensibus percepisset. Haec igitur ex Italia in Africam terram quodammodo translata sunt.

Quae cum ita sint, quaeritur, num adumbratio Vergi-

¹ Eius scil., c. i. *Alt-Ithaca*, München 1927, cf. *Phil. Woch.* 48, 1928, 1402.

liana omni ex parte in Africae naturam quadret, quam leonum aridam nutricem etiam Sallustius arboribus infecundam (B. Jug. 175) non ita pridem nuncupaverit¹. Nunc post *Gsellii* doctissimas observationes scimus nimiam fidem non esse dandam eis veterum testimoniis, quibus Africae septentrionalis siccitatem nimiam accusaverint (l. c. I, 83 sq.). Cum vero Africa consimili fere temperatione coeli uteretur atque Hispania, Gallia meridionalis, Italia — eisdem stirpibus plane ut videtur et ipsa inde a saeculis obsita erat. Ad silvas quod attinet, montes Africae septentrionalis lignis optimis iam tum abundasse videntur, antequam Poenorum coloni mobiles hanc terram primum attigerunt. Ἡ δὲ (Λιβύη)... τὸ πρὸς ἐπιπέρης... ὄρεινή τε κάρτα καὶ δασέα iam apud Herodotum laudatur (IV, 191), cuius silvae, eximiae nonnunquam magnitudinis, compluribus a scriptoribus memorantur². Quamquam igitur in eadem terra nunquam regiones defuerunt, quae arborum infecunditate laborabant, ideoque Sallustii et aliorum (ut Columellae II, 225) vituperationes in se convertebant, non est profecto cur in silva et nemore offendamur, in recessu portus Libyci a Vergilio adumbratis.

At terra, quam amoenissimo recessu Aeneidos auctor adornatam esse effinxit, mox rerum dominos magis magisque alliciebat. Iam tum, cum Augustus Carthaginis ruinas restitueret, Uticae Hadrumetique regiones tamquam loca frumentaria bonitate agrorum vigeabant (cf. Hor. C. I, 19), tarde tamen familiae locupletiores, fertilitate soli invitatae, fortunas in Africa lococabant eoque demigrabant. Sub Antoninis denique, qui ita vocantur, caesaribus Africa maxime effloruit. Tum demum *leonum arida nutrix* puteis fontibusque abundabat, quos Romani summa cura aperiebant

¹ Nonnulli commentatores in hoc olim graviter offendebant ad portum Libycaum cervos — in Africa — apparere; nuper contra veterum quidem opinionem a Gsellio edocti sumus (l. c. p. I, 117 sq.) animal illud inde ab antiquissimis temporibus in Africa vixisse. Cervi in musivis quoque operibus Africanis visuntur, in quibus saltuum regiones depictae sunt; compluria artificia Gsellius affert p. 118, adn. 7.

² Veterum testimonia silvarumque Africanarum situm et naturam diligenter examinavit Gsellius I, 138 sq., 147 sq. cf. Melzer-Kabrstädt l. c. I, 42, 88.

effodiebantque¹. In latis divitum fundis, in celebratis illis *saltibus Africanis*, sumptuosa tum domicilia exstruuntur, quae Romanorum luxum prae se ferunt cultumque. Tum potissimum, ut e compluribus vermiculatis operibus Africanis elucet, ad vitam revocabantur scenae, quas Vergilius cogitatione solum effinxerat adque portum Libycum agi voverat. Ecce Pompeianus quidam praedives in pavimento villae magnificae, prope Cirtam positae, praeter alias res nemus hortosque suos tessellis repraesentari iussit. Venationes videlicet in deliciis ipse habebat, quo duae imagines referendae sunt: quarum in altera *saeptrum venationis* cernimus, cum dorcadibus ibi nutritis, in altera venatores equites apparent, id quod in musivis operibus, in Africa confectis, saepius veluti ex more recepto recurrit². Itaque fortunati luxuriae Romanae praecursores Italia relicta in Africae venustis regionibus nemora hortosque arte aedificabant, qui recessus non aliter atque Didonis hospitalis aetate venationibus usque resonabant³.

¹ De quo Africae incremento nobili cf. ex libris vetustioribus A. Schulten, D. röm. Africa, Lpzg. 1889, 41 sq., Boissier, L'Afrique romaine, Paris 1909, 83 sq.

² Musea in villa Pompeiani reperta praesto sunt in Inventaire des mosaïques de la Gaule et l'Afrique t. III = Mosaïques de l'Algérie par F. G. Pachtere 1911. Imagines supra memoratas A. Schulten, Africa p. 47 sq., Boissier L'Afrique 157 sq., L. Carton, Pour visiter Carthage, Tunis 1924, 57 accuratius describunt. Nonnullas imagines faciliore cura adire licet in notis A. Schulteni Arch. Anz, 14, 1899, 67 et 24, 1903, 193 nec non in libro c. i. Manuel de l'Archéologie Romaine, par R. Cagnat-V. Chapot, Paris Picard, 1920, t. II, p. 131; cf. quoque eiusdem libri p. 152 tab. 420; p. 150 sq. tab. 421. Nuperrime B. Khun de Prorok (Göttersuche in Africas Erde etc., Lpzg. Brockhaus 1928, 80) ipsa Carthagine imaginem repperit in colle Iunonis, in qua venatores aprum agitantes musivo depicti sunt.

³ Nonnunquam divites illi prioris patriae amorem profiteri videntur. Ut Vergilius res usu sibi notas in ignotam terram translatas depingebat, sic saltuum possessores regionibus delectabantur, quae Italiae tractus amoenitate nobilitatos in memoriam revocabant: in opere quodam vermiculato, prope Uticae veteris litus reperto, regionem maritimam artifex tessellis expressit; infra legimus: *splendent tecta Bassiani fundi cognomine Baiae*. Baiae videlicet in Africa quoque terra haud deerant. Opus tessellatum publici iuris factum est in Catalogo des Mus-

Addere liceat haec studia contentionesque, a Romanis antiquitus traditas, in amoenissimis Carthagini regionibus diu viguisse atque etiam in posteriorum mores videlicet abiisse: nempe Luxorius, Martialis imitator, qui VI fere saeculo in Didonis urbe vixit, hortum laetissimum Eugetii cuiusdam laudibus extollit, arboribus luxuriantem, fontibus madentem nec non turrin, in aliis hortis erectam (cf. Riese A. L. 332 et 304 c.). Sic postea Vandali, Romanorum heredes, ut a Procopio (Bell. Vand. I, 17; II, 6) edocemur in nemoribus cultissimis (*παράδεισοι*) sub ipsa Carthagine libenter agebant venabanturque... *καὶ πάντων μάλιστα κυνηγεσί-οις τὰς διατριβὰς ἐποιοῦντο... καὶ ὤκνητο μὲν αὐτῶν οἱ πολλοὶ ἐν παραδείσοις, ὑδάτων καὶ δένδρων εὖ ἔχουσιν...*

sées et Coll. archéol. de l'Algerie et de la Tunisie, Musée Alaoui, Paris Leroux 1907, t. 5, cf. A. Schulten Arch. Anz. 24, 1909, 196,



